

mali est *Necessaria*. Quomodo enim viveret animal nisi respiraret & nutrireretur? Hac quoque finis *Necessitate*, *necessaria* est *Materia* omnibus rebus naturalibus ad sui generationem. Cum n. Naturaliter ex nihilo nihil fiat, sed ex aliquo, materiam adesse necesse est, si generari res debet. Sic terram, ob commodam hominum, omniumque animalium habitationem quiescere, *Necessarium* est. *Necessitas expedientie* est, sine quo tam facile quicquam non licet acquirere; sic Equus ad iter faciendum est *necessarius*, susceptio navigationis ad rem familiarem augendam, vid. J. Mart. exer. Met. 5. th. 8. Hæc *Necessitas* duplex est, alia simpliciter *necessaria* est ut finis sit, ut cibus & respiratio ad prorogationem vitæ, sine anima rationali homo non est; Alia tantummodo ad commodius & melius esse: ut fluvium transiturus, commodius expeditiusque Navi quam vado transibit. sic commodius est, Philosophiam ante Theologiam discere. J. Mart. exer. 5. th. 8.

III. *Necessitas à Materia* est, quæ indolem & naturam materiæ committatur, inde omne quod generatur & corrumpitur, *necessario* materiam habet, non verò contrà: Cælum enim materiam quidem habet, neque tamen generationi & corruptioni est obnoxium. Arist. 1. 1. & 2. de Cælo, 1. de Mundo cap. 2. videatur Clar. Dn. Jac. Mart. exer. Met. 5. th. 10.

IV. *Necessitas à forma* est, quæ formæ Naturam sequitur. statuitur à Zabarella duplex: *Constituens* & *Consequens*, de quibus videatur Disp. 10. th. 33. J. Martini.

Et *Necessitas* hæc, quæ ex causis internis est, vocatur *immutabilitas*, quoniam causæ illæ internæ, *Materia* & *forma*, *immutabilitatem* rebus afferre videntur. In specie verò *formalis Necessitas* à Philippo *Necessitas Definitionis* dicta est. Vocatur etiam *Necessitas Demonstrationis*, vide exer. Jac. Mart. 5. th. 9. Alsted. Met. cap. 28. pag. 226.

X. Restat paucis delineanda *Consequentis* & *Consequentia necessitas*. Inter quas quid discriminis sit, apprimè notandum: Et *Necessitas* quidem *Consequentis*, est ipsius rei *Necessitas*, quæ consistit in *essentia* causæ & effectus *dependentia*, quando scilicet res sequitur ex causa antecedente *necessaria*; vel, quando tam antecedens quàm consequens in se est *necessarium*: Ut, cras oriatur sol, *Necessarium*